

6. Et quidem non sine gravi ac justa causa: si-
quidem hæc decreti divini stabat sententia, ut
λόγος nostri causa non homo duntaxat fieret;
sed in assumpta carne patiendo ac moriendo semeti-
psum eterno DEO patri, pro lapso ac damnato
genere humano immolaret, amissamque salutem
repararet: Id quod in actum certè nunquam per-
ducere potuisset, nisi abdicato ad tempus acceptæ
Majestatis usu plenario.
7. Quem humiliationis actum valdè graphicè
D. Apostolus in sua ad Philippenses scripta Epi-
stola cap. 2, 6. 7. & 8. depingit. Christus in-
quiens, cum esset in forma Dei, non rapi-
nam arbitratus est, æqualem esse Deo; sed
semetipsum exinanivit, formâ servi accep-
tâ, in similitudinem hominum factus, &
habitu inventus ut homo, exinanivit se-
metipsum, factus obediens Patri, usque
ad mortem, mortem autem crucis.
8. Quem locum non de λόγῳ, & incarnationis
mysterio, respectu cujus suo & loco & sensu λόγος
se humiliasse rectè alioqui dicitur, dum nimirum
ineffabili motus Φιλανθρωπία, nostri causa ho-
mo fieri dignatus est: sed de assumpta carne, ejus-
demque profundissima, quoad plenariam acceptæ
Majestatis ἐνέργειαν, exinanitione, propriè ac-
cipiendum esse, ipsa textus σιγήματα irrefutabi-
liter evincit.

Primum